



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Summula clarissimi iurisco[n]sultissimiq[ue] viri
Raymundi**

Raimundus <de Pennaforti>

Colonie, 4.III. 1502

VD16 R 168

Jn confessione contrahitur aliqua affinitas

urn:nbn:de:hbz:466:1-31223

Summula Raymūdi.

Secundo notandum. Ista dicitur quod baptisimus facit fratrem et sororem. hoc est intelligendum quod si pater habet filium tunc ille filius et baptisatus dicitur frater spiritualis. Sic similiter si pater habuerit filiam tunc filia eius est soror spiritualis baptisati. et sic illa affinitas impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum. Sed queres. utrum si talis cognatio impediatur matrimonium contrahendum et dirimit contractum. Ad hoc respondetur per distinctionem. scilicet vel cognatio spiritualis prececedit matrimonium vel non. Si non precedit cognatio spiritualis tunc non impedit matrimonium contrahendum nec dirimit contractum. Verbi gratia si mater in necessitate leuaret puerum suum propter hoc matrimonium non est separandum. et ponatur quod dolose faciat. tunc ei dicitur iniuriam perniciosa digna. Si autem cognatio spiritualis precedat matrimonium. tunc impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum.

Item dubitatur ex quibus sacramentis processit talis cognatio spiritualis. Ad hoc respondetur secundum Iohannem andree in quarto libro decretalium. quod solum cognatio spiritualis contrahitur per baptismum et confirmationem. Ex hoc patet quod solum per ista duo sacramenta fit talis cognatio seu affinitas que dirimit matrimonium contractum et impedit contrahendum. sed cathesismus facit cognationem spirituales que cognatio impedit solum matrimonium contrahendum. non autem dirimit contractum. Sicut hoc patet in simili. nam ponatur quod quis votum fecisset castitatis. tunc illud votum impedit matrimonium contrahendum et non dirimit contractum. sic etiam in cathesismo. Sed secus est de voto solenni. sicut sacri ordines et huiusmodi. quia hoc votum dirimit matrimonium contractum et impedit contrahendum. sic eodem modo facit baptismus et confirmatio.

Item dubitatur utrum inter leuantes contrahatur aliqua cognatio spiritualis. Ad hoc dubium respondetur. quod inter leuantes nulla contrahitur cognatio nec affinitas sed semper possunt contrahere matrimonium nisi aliud obstat impedimentum. Sed ex hoc ulterius dubitatur. utrum uxor contrahat cognationem spirituales cum leuato. Respondetur quod eadem est affinitas inter uxorem et uirum. quia uir et uxor dicitur unum corpus esse et unam animam habere per unionem matrimonij. ut patet latius infra.

Item dubitatur. utrum in sacramento professionis etiam contrahatur affinitas. nam utriusque secundum iura aliquis vel aliquis dicitur filius vel filia professionis. Respondetur quod sic. sed solum inter profitentem et professionem. unde. Quicquid de fonte leuans uigendo siue tenendo siue confirmando. sua vel peccata fatendo. Filius ille tibi spiritualis erit. Sed tamen affinitas que contrahitur ex professione non impedit matrimonium. nam sacerdos habens filium filius bene potest ducere in uxorem cuius professionem pater sacerdos audivit. Sed si illa uirginem baptisauit tunc filius ille tale ducere non potest. imo si duxisset essent separandi.

Item dubitatur. utrum filij duorum patrum seu pueri per quorum neutrum deuentum est ad paternitatem possint contrahere matrimonium. Respondetur secundum decretales de cognatione spirituali ubi sic dicitur. Filij duorum patrum per quorum neutrum deuentum est ad paternitatem licite matrimonium contrahunt nisi consuetudini repugnet. Et si per alterum eorum vel utrumque deuentum est ad paternitatem hoc sic declaratur capiendum exemplum tale. Habebat unus uir unum filium quem uocet plato. et pater platonis rogat alium uirum ut fiat pater ipsius leuando platonem de sacro fonte. quo leuato tunc talis uir leuans nullam filiam suam potest despensare platonem si etiam haberet decem filias. Et ratio est. quia per platonem deuentum est ad